DE EPISCOPATU

EX CYPRIANI EPISTULIS

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM, DEO BENE VERTENTE,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ PARISIENSIS

PRO LICENTIA DOCENDI

Die VIII mensis quintilis, A. D. MDCCCCVIII, hora p. m. III

PUBLICE DEFENDET

PAUL BEUZART

VELLAVORUM CIVITATE
EX TYPIS PEYRILLER, ROUCHON ET GAMON

1908

DE EPISCOPATU

EX CYPRIANI EPISTULIS

DE EPISCOPATU

EX CYPRIANI EPISTULIS

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM, DEO BENE VERTENTE,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ PARISIENSIS

PRO LICENTIA DOCENDI

Die VIII mensis quintilis, A. D. MDCCCCVIII, hora p. m. III

PUBLICE DEFENDET

PAUL BEUZART

VELLAVORUM CIVITATE
EX TYPIS PEYRILLER, ROUCHON ET GAMON

1908

Praeside V. S. V. Eug. de Faye.

Solemne exercitamentum moderabuntur triumviri doctissimi

Eug. de Faye,

Ed. Vaucher,

Eug. Ehrhardt.

N° 423.

DE EPISCOPATU
EX CYPRIANI EPISTULIS

PROŒMIUM.

Omnes sciunt quanti sint aestimandae epistulae veterum scriptorum : etenim ad eorum aetatem cognoscendam saepe multo majore sunt momento quam ea scripta quae apud ipsos maximum pondus habebant. Res a fontibus libenter repetere solemus : ex quo autem fonte potius sponte sua et certa fide manare nobis potest veritas historica quam ex epistulis virorum qui inter aequales personam quandam tenuerunt? Haud aliter res se habet, cum de ecclesiasticis historiis agitur.

Ex saeculis post Christum natum primo et secundo nobis epistulae supersunt ad ecclesias quasdam missae et a Paulo, Clemente Romano, Ignatio multisque aliis scriptae, ex tertio autem Cypriani epistulae : qui nobis circiter LXV epistulas tradidit una cum complurium responsis vel mandatis, ita ut in toto LXXXI scripta habeamus. Ea autem omnia ad aetatem illam cognoscendam maximo sunt momento.

Complures Cypriani libri ad dogmata vel paraenesin

pertinentes, quamvis studio digni sint, animorum habitus motusque non eadem clara luce illustrant quam ejus epistulae (1). Ideo enim illae nobis studio videntur dignissimae, quod in eis non solum ipsius persona animusque nobis apparent, sed etiam condicio rerum ecclesiasticarum : quae duo artissime conjuncta sunt, cum persona ipsa ad rerum eventus multum valuerit, eventa rursus personae copiam dederint omnino ostendendi quid posset.

Imprimis igitur inter Cypriani opera epistulas inspiciemus, ut exquiramus quae episcopatus species ex iis emineat. Cum propter ea studio plane sint dignae quae ad vitam domesticam pertinent intra magnam quandam occidentalem ecclesiam tertio saeculo actam, tum solutione ipsa maxime insignes sunt, qua ordinis ecclesiastici quaestio in iis expedita est.

Ad eam autem quaestionem acerrime movendam omnia tunc Carthagine conspirabant. Etenim ecclesiae illius plurimi erant socii, praeterea inter eos factiones exstiterant, et eis propter persecutionem ardua tempora erant traducenda, ita ut interdum in rebus turbulentissimis versarentur. Adversus sacerdotes laici quidam surgebant ea auctoritate praediti quae ex constanti persecutionis tolerantia solet exoriri : qui, nimbo quasi circumdati et praeclaro « confessorum » nomine ornati, ea consilia capiebant, quae non modo cum instituta disciplinae ecclesiasticae ratione non congruerent, sed etiam ad nihilum eam redigerent.

In dubio erat cui potestas esset tribuenda et cui oves pascendae, quomodo sacerdoti cum laicis illis agendum, cum hi propria auctoritate praesertim propter mores suos fruerentur, ille autem per justam ordinationem ecclesiasticis muneribus praepositus esset. Ea omnia eo difficilius

(1) Cf. Cypriani opera omnia a Guilelmo Hartel edita (Corporis Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum Vindobonensis, Vol. III, pars III).

erant expedienda, quod Cyprianus Carthagine discedendo a persecutione semet ipse removerat, ita ut et ille, sicut Paulus, dicere posset « foris pugnas, intus timores » (1) esse. Etenim non solum intus sollicitudinibus afficiebatur, sed, postquam cum Cornelio Romae episcopo familiarissime conjunctus erat, ejusque auxilio et praesidio usus erat adversus turbatores, cum Stephano ejus successore in certamen venit de haereticis baptizandis.

Per totam vitam Cyprianus certavit ad jura episcopi defendenda cum adversus catholicam Ecclesiam, hoc est, adversus ceteros episcopos, tum adversus singularem ecclesiam : summam enim potestatem non in episcopo uno quodam cujusvis ecclesiae posuit, sed in episcoporum corpore, et optime episcopatus rationem praecepit, cum asseveraverit singulos episcopos suarum ecclesiarum, corpus episcoporum universae Ecclesiae personam agere.

Id Cypriani conatum valde dignum est studio, ut Ecclesiae catholicae administratio medio loco constituatur inter plebis imperium, quo priscae ecclesiae usae sunt, et summam unius dominationem, quam Romana disciplina constantiae causa debebit instituere. Ea doctrina in Francogallia XVII° seculo iterum defensa est, non prosperiore quidem eventu quam III° : nimirum episcopalis ratio instabili loco media ponitur inter duas illas solutiones sibi plane constantes, quae pariter ab hac paucorum dominatione abhorrent.

In ea igitur episcopali disciplina constituenda quas partes Cyprianus obtinuerit nobis nunc quaerendum est.

(1) Cf. Ep^ae^ II^ae^ ad Cor. c^is^ VII^i^ versum quintum.

CAPUT PRIMUM

DE FRATERNITATE

Ut de episcopi condicione et persona recte judicare possimus, hoc prius necesse est summatim respiciamus quomodo ejus ecclesia sese habeat. Carthaginis autem ecclesiam mente complecti satis accurate possumus, qualis fuit Cypriani aetate, quem ab anno CCXLVIIIº ad annum CCLVIIIum episcopum fuisse constat apud omnes. Ecclesiae illius res domesticae ea persecutione penitus perturbatae sunt, quae Deciani jussu circa annum CCLum exorta est, duobus scilicet annis postquam Cyprianus episcopatum inierat. Jam amplius una hominum aetate christiani pacem agere consueverant; jam christianam fidem confiteri res erat nullius periculi. Etenim illi imperatores, ut alienigenae, adversus eam religionem non acri patriae studio accendebantur, et arbitrabantur christianis licere otio et quiete uti.

Ubi vero Decius regni potitus est, rerum condicio omnino commutata est : ei enim imperium capessenti certum atque deliberatum erat novam religionem penitus evertere. Itaque, cum adhuc vexationes ad unam tantum aut alteram provinciam pertinuissent, sub Decio contra persecutio per totum imperium saevire incepit, ita ut Africae pars septemtrionalis Aegyptusque simul et Asia Minor atrocia decreta ab imperatore facta perpessae sint.

Quibus rebus Ecclesia penitus est perturbata. Priscorum enim temporum virtus tunc languescebat, et rarius occasio jam contingebat sanguinem pro Christo profundendi. Deciana igitur persecutio quasi procellam dejecit in eos greges a vexationum perpessione desuefactos nec jam martyrium expertos : quanto enim longior remissio Ecclesiae data erat tranquilliorque vita facta erat, tanto gravius fuit illud discrimen. Multi igitur fuerunt qui ab Ecclesia defecerint, cum persecutionis quàsi ventus ad religionem ejurandam plurimos homines proriperet, qui Ecclesiae jamdiu accesserant, non ita tamen ut parati essent vitam pro fide sua profundere. Ii « lapsi » nominati sunt : pro quibus tractatum « de lapsis » conscripsit Cyprianus, exstincta quidem persecutione, ut ex ejus prooemio colligi potest : « Pax ecce, dilectissimi fratres, ecclesiae reddita est. »

Episcopo ipsi maximi fuit discriminis Deciana ea persecutio. Etenim, ut dubiis rebus semper fit necessario, perturbatum est aequabile ecclesiasticae disciplinae libramentum. Oculi plebis in eos omnes conversi sunt quibus persecutionis ardor tolerandus fuerat; illi autem in duas contrarias partes divisi erant, alteram « confessorum », id est eorum qui restiterant, alteram « lapsorum », id est eorum qui discrimini illi impares fuerant : quorum alteri per constantem tolerantiam ad caelum elati erant, alteri per lapsum indigni facti erant qui in communione permanerent.

Cypriano haec quaestio — non quidem sine difficultate — jam erat expedienda, quomodo cum duabus eis hominum partibus ageret. Qui ante persecutionem ovium gregi immixti erant, aut extraneis tantum signis vel dignitatis gradibus sese ab eo secernebant; postea autem alii, ut gloriosi testes fidei erga Christum servatae, fratribus videbantur frontes quasi caelesti nimbo cinctas gerere, alii vero, ignominia notati, quorundam judicio Satanae devoti erant.

In libro supra laudato Cyprianus confessoribus laudes tribuit, magna saltem imprudentia. Ipse enim igni persecutionis non sese obtulerat, sed, quodam Christi dicto innixus, procul Carthagine recesserat. Ita gregem suum non sane deserebat, cum epistularum commercio et multis mandatis (cf. Ep. XX, cap. I et II — XXXI, cap. VI) cum eo manserit conjunctus, sed exemplo suo eum sustentare vel incitare non jam poterat. In precaria igitur causa versabatur, et tam singulari ut non ei liceret de confessoribus haec verba scribere :

« Confessores praeconio boni nominis claros et virtutis ac fidei laudibus gloriosos laetis conspectibus intuemur, sanctis osculis adhaerentes desideratos divina et inexplebili cupiditate complectimur. Adest militum Christi cors candida, qui persecutionis urgentis ferociam turbulentam stabili congressione fregerunt, parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis. » (De lapsis, cap. II).

Quantam gloriam Cyprianum ex confessoribus percipere vidimus, tanto dolori lapsos ei esse ex his animadvertas :

« Lacrimis magis quam verbis opus est ad exprimendum dolorem, quo corporis nostri plaga deflenda est, quo populi aliquando numerosi multiplex lamentanda jactura est. » (Ibid., cap. IV).

Quam ignavi lapsi isti fuerint, quam alacriter defectioni ultro ierint obviam, Cyprianus sic describit :

« Non expectaverunt saltem ut ascenderent adprehensi, ut interrogati negarent. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati nec hoc sibi reliquerunt ut sacrificare idolis viderentur inviti. Ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam quam libenter optassent. Quot illic a magistratibus vespera urgente dilati sunt, quot ne eorum differretur interitus et rogaverunt ! » (Ibid., cap. VIII).

Antiquae disciplinae tale discrimen aegre perpetiendum erat. Mos erat ecclesiae communione eos privari qui a religione defecissent, et Cyprianus ipse scripserat « non posse in ecclesia remitti ei qui in Deum deliquisset » (Testimoniorum libri III[i] cap. XXVIII).

Id praeceptum, in ea rerum condicione non constare poterat, quae ab Deciana persecutione orta erat. De qua Cyprianus haec scribit :

« Sed tormenta postmodum venerant, et cruciatus graves reluctantibus imminebant. Queri de tormentis potest qui per tormenta superatus est, excusationem doloris obtendere qui victus est in dolore... Potest cito proficere ad veniam causa talis, potest ejusmodi excusatio esse miserabilis. » (De lapsis, cap. XIII).

Simul autem Roma mittebantur consilia ad clementiam spectantia. Romana enim ecclesia gubernandi res ecclesiasticas semper sese peritissimam praestitit, formularum atrocitatem hominum infirmitati accommodando ; in ea ipsa de lapsis quaestione mediam consilii viam consecuta est (cf. Ep. XXXVI, cap. II et III). Cum illud exploratum esset absoluta lapsorum exclusione ipsam ecclesiae vitam in discrimen venire, hoc considerandum erat quonam titulo condicionibusque in ecclesiae communionem illi restitui possent. Pœna quadam eos esse afficiendos Romani clerici in epistula XXX[a] iterum atque iterum asseverant :

« Absit enim ab ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, et nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere,... ut miseris ad eversionem majorem eripiatur et poenitentia. Ubi enim poterit indulgentiae medicina procedere, si etiam ipse medicus intercepta paenitentia indulget periculis, si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? hoc non est curare, sed si dicere verum volumus, occidere » (cap. III) ; et infra cap. VI : « Oremus ut effectus indulgentiae lapsorum subsequatur et paeniten-

tiam, ut intellecto suo crimine velint nobis interim praestare patientiam, nec adhuc fluctuantem turbent ecclesiae statum... Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. »

Id consilium a summo loco descendebat, et hominum erat necessitates rerum ecclesiasticarum penitus intellegentium. Ipse autem Cyprianus similibus causis impulsus erat : disciplinam retinere volebat quae proculcari periclitabatur, et simul a nimia austeritate cavebat, quae ab ecclesia animos arcere posset post brevem lapsum paenitentes. Quam sententiam in priore epistula sic exprompserat :

« Postmodum vero cum quidam de lapsis sive sua sponte sive alio incitatore audaci flagitatione proruerent ut pacem sibi a martyribus et confessoribus promissam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad clerum litteras feci et legi eis mandavi, ut ad illorum violentiam interim quoque genere mitigandam, si qui libello a martyribus accepto de saeculo excederent, exomologesi facta et manu eis in paenitentia imposita cum pace sibi a martyribus promissa ad Dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi aut me auctorem temere constitui. » (Ep. XX, cap. III).

Cum libellos pacis sibi paravissent, lapsi postulabant ut in ecclesiam reciperentur : eam consuetudinem Cyprianus omnibus viribus impugnavit, quae necessario pravitate utentium magna attulisset mala. Ergo, cum a confessoribus epistulam accepisset imperiosis verbis a Luciano conscriptam (« Scias nos universos quibus ad te ratio constiterit quid post commissum egerint dedisse pacem, et hanc formam per te, et aliis episcopis innotescere volumus. Optamus te cum sanctis martyribus pacem habere » Ep. XXIII), eos pro responso adhortatus est ad patientiam praestandam : « Hoc (humiles et quieti et trementes) cum debeamus omnes esse, tunc magis hujusmodi illi esse debent quibus laborandum est ut post gravem lapsum

vera paenitentia et humilitate tota promereri Dominum possint. » (Ep. XXVI).

Luciani superbiae Mappalici Celerinique verecundiam opponit his verbis :

« Mappalicus martyr cautus et verecundus, legis ac disciplinae memor, nullas contra evangelium litteras fecit. » (Ep. XXVII, cap. I). « Exempla quoque epistolae Celerini boni et robusti confessoris, quam ad Lucianum eundem confessorem scripserit, misi vobis... Celerinus confessor quam sit moderatus et cautus et humilitate ac timore sectae nostrae verecundus, Lucianus vero circa intellegentiam dominicae lectionis ut dixi minus peritus et circa invidiam verecundiae nostrae relinquendam facilitate sua immodestus. » (Ep. XXVII, cap. III).

Non quo Cyprianus in principio nolit confessores intercedere ad lapsis « libellos pacis » tribuendos : immo arbitratur martyribus quidem propter eorum devotionem et tormenta licere pro lapsis deprecari, sed non sine sacerdotum custodia. Quod manifestissime declarat initio epistulae XVI[ae], ubi his verbis queritur de illis :

« Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini, quando aliqui de presbyteris nec evangelii nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium neque nunc sibi praepositum episcopum cogitantes, quod numquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia et contemptu praepositi totum sibi vindicent? »

Ergo, Cypriani quidem sententia, si a confessoribus martyribusque tribuentur libelli pacis, hoc tantum fiet sub Ecclesiae custodia, ergo exstincta persecutione, cum commendaticiae petitiones a legitimis rerum ecclesiasticarum rectoribus poterunt inquiri; deinde, ante omnia, lapsis paenitentia erit praestanda, per justum tempus continuata et operibus precibusque confirmata.

Confessorum mores fidei in persecutione servatae non

semper respondebant. Etenim eos Cyprianus in Ep^{ae} XIII^{ae} cap^{ibus} IV^{o} et V^{o} graviter vituperat, immo haec verba ad eos scribit :

« Quid deinde illud, quam vobis exsecrandum debet videri, quod cum summo animi nostri gemitu et dolore cognovimus, non deesse qui Dei templa et post confessionem sanctificata et illustrata plus membra turpi et infami concubitu suo maculent, cubilia cum feminis promiscua jungentes, quando etsi stuprum conscientiae eorum desit, hoc ipsum grande crimen est, quod illorum cum scandalo in aliorum ruinas exempla nascantur. »

Cum confessores summam dignitatem adepti essent, ad eosque ecclesia tota oculos converteret, facile intellectu cur superbia et confidentia in eorum animos obrepserint, cur institutae regulae vim attulerint, et sacerdotum vel episcoporum praerogativas obliti sint, et ecclesiasticam disciplinam neglexerint. Lucianus, qui eam epistulam conscripsit quae Cypriani alienationem a confessoribus attulit, multorum persecutionis comitum auctoritate nitebatur, quorum nomina Ep^{a} XXII^{a} commemorat. Apud omnes illos fautoresque eorum fiducia, et superbia, et contemptus disciplinae ecclesiasticae in dies manifestiora apparuerunt. Cyprianus vero de ea confidentia immodestiaque queritur, immo nonnunquam, ut supra vidimus, de eorum moribus.

Libellos pacis non persecutionis initio esse traditos est verisimile : postea tantum ea consuetudo percrebuit, disciplinae remissionem contrahens. Lucianus enim, ceterorum martyrum assensu fretus, omnibus eis qui pacem petebant eam concedebat, nulla quaestione, nulla cognitione de priore eorum vita instituta. Immo Celerinus, unus ex illis martyribus, eum « antistitem Dei » appellat, felicemque praedicat : « O te felicem », inquit, his verbis additis : « Rogo itaque, Domine, et peto per Dominum nostrum Jesum Christum ut ceteris collegis tuis fratribus tuis meis dominis referas et ab eis petas ut quicumque prior ves-

trum coronatus fuerit, istis sororibus nostris, Numeriae et Candidae tale peccatum remittant. » (Ep. XXI, cap. III). Insequens epistula nos docet pacem iis sororibus tributam esse quibus Celerinus studebat; adde etiam haec Luciani verba : « Et ideo, frater, peto ut sicut hic, secundum praeceptum Pauli et nostrum tractatum exposita causa apud episcopum et facta exomologesi habeant pacem. » (Ep. XXII, cap. II).

Illius temporis hominum judicio, suspendi ab ecclesiae communione nihil minus erat quam mors spiritualis. Cum intercessus eorum qui persecutionem pertulissent maxime valeret ad lapsos in ecclesiam restituendos, necessario factum est ut confessores libellos pacis distribuerent, quos episcopus consignandos tantum habebat.

Adjiciendum est confessores arbitratos esse auctoritatem ita agendi sibi datam. Etenim Carthagine praesertim ex ecclesiae plebe prodierant; dum autem episcopus, ab urbe remotus, ad clerum suum scribit ut iis consulat qui in custodia sint, ipsi contra in media dimicatione ignem persecutionis tolerabant (1) et ad se omnium laudes convertebant. Nihil igitur mirum, si potestatem sibi arrogaverunt in ecclesiam eos restituendi qui defecerant, eo magis quod fortasse magis aut minus sibi erant conscii suis meritis lapsorum indignitatem compensari posse.

Lapsorum plerique nihil aliud quam pacem postulaverunt a martyribus concessam, omissa paenitentia illa quae pacis tribuendae fuerat condicio : inde certamen coortum est inter episcopum ecclesiamque. Cyprianus enim simul et martyribus justam laudem tribuere voluerat, et erga lapsos necessariam exercere disciplinam, cum ii his

(1) Lucianus, in epistula ad Celerinum, tormenta ab ipso tolerata sic commemorat : « (cum) jussi sumus secundum praeceptum imperatoris fame et siti necari, et reclusi sumus in duabus cellis, ita ut non efficiebat fame et siti. Sed et ignis ab opere pressurae nostrae tam intolerabilis erat quem nemo portare posset. » (Ep. XXII, cap. II).

tantum condicionibus in ecclesiam recipi deberent : « paenitentia acta, exomologesi facta, manu eis ab episcopo et clero imposita. » (Ep. XVI, cap. II). Tractabiliores autem presbyteros lapsi invenerunt, qui eos ad communionem admiserunt omissis illis condicionibus. Ubi primum Cyprianus eas res comperit, ad clerum suum severum mandatum misit, in quo episcopi jura et disciplinae atrocitatem ei in memoriam revocat. Dum sese cum martyribus stare profitetur, clerum commonefacit illos, ubi jura sua excesserint, intra justos fines esse retinendos a presbyteris diaconisque ; quosdam autem clericos, sive nimia benignitate sive culpae societate lapsorum infirmitate indulgentes offensam attulisse et honori Dei et juri episcopi.

Difficillima erat ea rerum condicio. Quomodo Cyprianus inter tam diversos homines, confessores et lapsos et presbyteros decerneret, sua cuique officia juraque assignaret eisque certos fines poneret : illa eo difficiliora erant judicatu, quod persecutione omnia perturbata essent, priorque ecclesiae ordo penitus eversus ?

Cyprianus autem cum Romae episcopo conjunctus erat : necesse igitur erat certamini intervenire magnam illam ecclesiam, quae jam eo manifeste spectaret, ut pro capite populi christiani sese gereret. Cum ad Romanum collegam Cyprianus de ea ardua quaestione scripsisset, Romani presbyteri, Carthaginis episcopo respondentes, pro instituta disciplina et episcopali auctoritate decreverunt. Etenim Romani non libenter martyres videbant ecclesiae temperationi sese immiscentes : nam Romae non eadem auctoritate confessores fruebantur, qua Carthagine. Sequentibus verbis sententiam suam Romani presbyteri diaconique brevi comprehenderunt :

« Tempus est igitur ut agant delicti paenitentiam, ut probent lapsus sui dolorem, ut ostendant verecundiam, ut monstrent humilitatem, ut exhibeant modestiam, ut de

submissione provocent in se Dei clementiam et de honore debito in Dei sacerdotem eliciant in se divinam misericordiam, quando meliores ipsorum litterae fuissent, si pro ipsis preces stantium humilitate ipsorum adjutae fuissent, quoniam et facilius impetratur quod petitur, quando is pro quo petitur condignus est ut quod petitur impetretur ». (Ep. XXXVI, cap. III).

Magis controversa erant Cypriani facta condicioque quam ut Carthagine tranquillitas nullo intercedente restitui posset : deferenda igitur quaestio illa ad quoddam episcoporum concilium, eo magis quod alibi quoque non minus acriter coorta erat, ut ex his verbis colligi potest :

« Denique hujus seditionis origo jam cœpit. Namque in provincia nostra per aliquot civitates in praepositos impetus per multitudinem factus est, et pacem quam semel cunctis a martyribus et confessoribus datam clamitabant confestim sibi repraesentari coegerunt, territis et subactis praepositis suis qui ad resistendum minus virtute animi et robore fidei praevalebant. » (Ep. XXVII, cap. III).

Cyprianus acutissime sentiebat difficultatem illam, quae ipsi esset expedienda, non ad unam ecclesiam suam pertinere, sed tantum universi cujusdam mali singularem esse speciem : non unum episcopum decernere posse in causa talis discriminis, sed episcoporum synodum. Quae sententia in ep[a] XIX[a] manifeste apparet : « Non paucorum nec ecclesiae unius aut unius provinciae, sed totius orbis haec causa est ». (cap. II).

Cyprianus cum regionis suae episcopis communicavit ad epistulas iis tradendas, quas ad presbyteros, ad plebem, ad martyres confessoresque scripserat : « (Qua) epistulae etiam plurimis collegis nostris missae placuerunt, et rescripserunt se quoque nobiscum in eodem consilio secundum catholicam fidem stare. » (Ep. XXV). Ea cum collegis concordia simul et praesidio Romanorum presbyterorum maxime confirmabatur Cypriani causa apud Carthagi-

nienses. Episcopi enim uno consensu hanc sententiam defendebant per unam ecclesiam martyres fieri (« non martyres evangelium faciant, sed per evangelium martyres fiant. » Ep. XXVII, cap. III) (1). Hac re confessores auctoritatem suam amittebant, nimboque gloriae eo spoliabantur quod ab ecclesia dissidebant; ita quoque libelli ab iis tributi irriti fiebant.

In summa res bene vertebant Cypriano; jam turbae sedabantur, et lapsi, cum libellis a martyribus traditis niti desinerent, ecclesiae patientiam praestare erant parati. Etenim Cyprianus in ep[a] XXXII[a] postquam presbyteris suis nuntiavit se iis Romanarum epistularum transcriptiones mittere (« exempla vobis legenda transmisi »), hoc adjicit : « Vos curate quantum potestis pro diligentia vestra, ut et scripta nostra et illorum rescripta fratribus nostris innotescant. »

Eae autem epistulae Cypriani rebus favebant.

Martyres vero, qui ecclesiae laudibus ad caelum elati erant, ad majorem modestiam ea epistula invitabantur quam Romani confessores Cypriano scripserant : qui, cum in lapsis severitatem adhiberent, tum illos quoque vituperabant, qui nullo delectu eis pacem dedissent, (« illos qui sine respectu evangelii sanctum Domini et margaritas prona facilitate donassent. » Ep. XXXI, cap. VI). Denique Carthaginis confessores ea epistula certo impulsura erat ut se ipsos ad se revocarent; cum enim eam cum brevi imperiosaque illa Luciani ep[a] XXIII[a] contulissent, jam iis fatendum erat Romanorum verba ab ipsorum verbis longe abhorrere.

Ergo commutatio magna et in lapsis et in confessoribus facta est, cum alteri episcopali lituo haud ambigue se subjecerint, alteri impetus suos temperaverint, donec fieret nova rerum conversio : Felicissimi autem schisma, quod

(1) Cf. Ep. XXXVI, cap. II et LX, cap. IV.

paulo post intervenit, iis occasionem erat daturum ad studium libertatis aperte expandendum.

Post persecutionem, Cyprianus necessarium duxit ordinationibus quibusdam lacunas explere, quae in ipsius clero factae essent, Aurelium igitur ad lectoris dignitatem promovit, et ad presbyteri dignitatem Numidicum. Contra morem institutum per unam episcopi auctoritatem ii ordinati sunt, quod quidem maximi erat momenti :

« In ordinationibus clericis, fràtres carissimi, solemus vos ante consulere et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Sed exspectanda non sunt testimonia humana, cum praecedunt divina suffragia. » (Ep. XXXVIII, cap. I).

Cyprianus, cum judicavisset Aurelium dignum esse qui lectoris munus expleret, eum ordinavit sine ecclesiae consultatione, itemque Celerinum qui et ipse praeclara sua persecutionis tolerantia ei commendabatur; Numidici autem merita his verbis percenset :

« Hortatu suo gloriosum martyrum numerum lapidibus et flammis necatum ante se misit ad uxorem haerentem lateri suo igne crematam simul cum ceteris laetus aspexit. Ipse semiustilatus et lapidibus obrutus et pro mortuo derelictus. » (Ep. XL).

Quin ea ordinatione Dominum ipsum tribuisse beneficium Cyprianus censet :

« Haec fuit causa ut eum clero nostro Dominus adjungeret et desolatam per lapsum quorundam presbyterorum nostrorum copiam gloriosis sacerdotibus adornaret. » (Ep. XL).

Ita jura clerorum singulis regionibus propriorum imminuta erant vel in oblivium venerant. Tali vero auctoritate Cyprianus non semper usus erat. Petitioni cuidam quatuor compresbyterorum responderat nihil decernere sibi licere sine cleri consilio plebisque assensione (cf. Ep^{ae} XIV^{ae} cap. IV). Cum antea, non suppetentibus cleri-

cis qui Romam ejus mandata ferrent, Saturum lectorem et Optatum hypodiaconum instituisset, proximorum assensionem habebat, ita ut ei scribere liceret : « Nihil ergo a me absentibus vobis novum factum est, sed quod jam pridem communi consilio omnium nostrum coeperat necessitate urgente promotum est. » (Ep. XXIX.)

Cum vero Aurelium Celerinumque lectores ipse ordinaret, praetendebat se divino quodam nutu impulsum esse (« qui cum consentire dubitaret ecclesiae ipsius admonitu et hortatu in visione per noctem compulsus est ne negaret. » Ep. XXXIX, cap. I); ceterum id munus quasi praenuntium esse honoris presbyterii (« presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis. » Ep. XXXIX, cap. V).

Ecclesiasticos igitur mores et instituta transcendit Cyprianus ad lacunas explendas quae erant in ejus clero, et homines sibi omnino addictos eligit : ita magis atque magis episcopi jura auctoritasque nulla ecclesiae consultatione exercentur.

Ergo in Carthaginis ecclesia jam quaedam indignationis semina orta erant, quae prima quaeque occasio in claram lucem erat proditura. Etenim presbyteri vel diaconi consilium suum neglegi querebantur, confessores vero exacerbati erant : primo igitur quoque signo utrique in unam adversariam factionem evalescere poterant. Dum Cyprianus extraneis collegis nititur, in ipsius ecclesia contra clerus sollicitus est et morosus; dum sedatur persecutio, adversariae voluntates circa episcopum exsistunt, et mox minima quaedam scintilla a quovis loco orta satis erit ad irarum quasi eruptionem afferendam.

Adhuc quidem tantum inter opinionum dissensiones distrahebatur Carthaginis ecclesia : nunc vero discissio orietur per Felicissimi schisma.

Id schisma maximi fuit momenti apud Cyprianum ad ipsius doctrinam de episcopatu confirmandam : quae qui-

dem, cum ad id temporis fluctuans et dubia mansisset, jam firmissime constitit.

Fere omnia quae de schismate illo comperimus in Cypriani ep[a] XLI[a] narrata sunt Caldonio Herculanoque collegis et Rogatiano Numidicoque compresbyteris rescripta : ibi legimus Felicissimum, cui Cyprianus pessimum reddit testimonium, eleemosynarum assignationi obstitisse, quas clerici illi quatuor tradendas haberent. Hoc quoque iis cognoscendum erat qui inter ecclesiae sodales aptissimi essent ad explenda ecclesiastica munera : verisimile est Cyprianum aliquot homines, si casus incidisset, sibi addictos habere voluisse. Felicissimus autem in Cypriani legatos coortus est : « comminatus est etiam fratribus nostris qui primi expungi accesserant potentatu improbo et terrore violento quod secum in morte non communicarent qui nobis obtemperare voluissent. » (Ep. XLI, cap. 1).

Ita repugnante illo, Cyprianus, qui persuasissimum habeat sibi ecclesiasticam disciplinam esse praestandam, acerrima capit consilia. Ab Africae autem Romaeque episcopis sustentatur; praeterea multo majoris momenti est ea res quam controversia de lapsis, nam Felicissimum secuta est gregis pars quaedam. In eum igitur Cyprianus absolutam excommunicationem decernit, dum Augendus, ejus administer, condicionali excommunicatione afficitur una cum eis omnibus qui ad factionem accesserint socii. Clerici vero, quibus Cyprianus excommunicationis epistulam miserat, breves litteras rescripserunt nuntiantes Felicissimum cum sex sectatoribus a communione esse suspensum (cf. Ep. XLII).

Tunc episcopus gregi suo epistulam longam gravemque misit, in qua facta sua excusavit, clerum adhuc fidelem defendit imprimisque dissidentes improbavit : quod scriptum schismatis originem naturamque in claram lucem profert. Ea epistula vere episcopalis pastoralisque est,

cum Cyprianus imperiose loquatur et spirituali perniciei obviam ire conetur quam fraternitatis discissio possit afferre. Cyprianus arbitratur schismatis auctores in ecclesia perturbanda persecutionis auctoribus esse adjutores :

« Persecutio est haec alia et alia est temptatio et quinque isti presbyteri nihil aliud sunt quam quinque primores illi qui edicto nuper magistratibus fuerant copulati, ut fidem nostram subruerent. » (Ep. XLIII, cap. III).

Dissidentes presbyteri quinque sunt : si his eos addas qui antea excommunicati sunt, putandum est Cypriani adversarios tum esse magni numeri auctoritatisque; eo magis quod probabiliter inter suos illi numerant homines antea offensos, scilicet confessores lapsosque qui inviti regulam ab episcopo impositam subire debuerunt : adde quod majorem gregis partem verisimile est cum istis adversus eum episcopum stetisse, quem persecutio procul Carthagine retineret.

Ea vero epistula Cyprianus certissimam progressionem fecit in disciplinae juribus exercendis. Antea Gaium Didensem ejusque diaconum communione privaverat propter eorum cum lapsis commercium, dein confessoribus in memoriam revocavit ipsorum auctoritatis fines, nunc vero Felicissimum factionemque circa eum coortam ab ecclesiae corpore avellit, episcopali jure officioque fretus.

Finem epistulae facit nuntiando commune collegarum consilium haberi posse : « quibus (collegis) praesentibus secundum arbitrium quoque vestrum et omnium nostrum commune consilium sicut semel placuit, ea quae agenda sunt disponere, pariter et limare poterimus. » (Ep. XLIII, cap. VII). Id autem concilium Cypriani decretum confirmavit (cf. Ep. XLV, cap. IV et Ep., quoque ad Cornelium, XLIX, cap. IX) : « Qui (Felicissimus) non tantum ab his (coepiscopis) istic abstentus, sed et abs te illic nuper de ecclesia pulsus est. »

Eodem tempore ipsa quoque Romae ecclesia turbabatur.

Ex epistulis XLIVa, XLVa LIaque percipimus Cornelii, ut episcopi, ordinationem non statim ab Africae episcopis acceptam esse, cum ii, priusquam consilium certum caperent, reditum Caldinii Fortunatique legatorum exspectavissent qui Cornelii ordinationi interfuerant. Competitor quidam, Novatianus episcopus, unus ex confessoribus, legatos Carthaginem miserat, qui Africanorum episcoporum assensionem captare conabantur.

Necesse autem erat Carthaginienses et Romani adversae partis homines sine mora se conjungerent, etenim inter ambas ecclesias frequens erat commercium, et, cum clerici inter se adjuvarent, non mirandum est si schismatici eandem viam secuti sunt. Quod in epistulae LIIae cape IIo manifeste apparet : « Novatus apud nos primum discordiae incendium seminavit... et cum sua tempestate Romae quoque ad evertendam ecclesiam navigans similia illic et paria molitus est ». Novatus iste, cui Cyprianus pessimum reddit testimonium, ubi primum Romam advenit, Novatiano se conjunxit. Num prius id acciderit quam ille communiter cum Cornelio ordinaretur, dictu difficile : hoc saltem constat, fere eodem tempore a Cornelio Novatianoque Carthaginiensis ecclesiae suffragia petita esse; Cornelio autem scribit Cyprianus : « Litteris nuper ab utraque parte susceptis, ejus litteras legisse et episcopatus ejus ordinationem singulorum auribus intimavisse » (Ep. XLV cap. II). Immo Cyprianus cum grege suo Cornelii amicorum litteras communicavit, tacuit autem de epistulis a Novatiani fautoribus missis. Qui principio majorem auctoritatem habebat quam Cornelius, confessorem enim, secuti erant multi confessores, qui postea aegre praevalenti parti adhaeserunt (Ep. XLVI, LI, LIII, LIV). Praeterea episcopi quidam Cornelium suspectabant, documento sit longa illa epistula ad Antonianum Numidiae episcopum missa, qui dubitabat utrum Cornelius an Novatianus legitimus esset episcopus. Cornelius

enim gravibus urgebatur criminibus quorum Cyprianus eum purgare conatur :

« Explorasse autem collegas nostros scias et verissime conperisse nulla illum libelli, ut quidam jactitant, labe maculatum esse, sed neque cum episcopis qui sacrificaverint communicationem sacrilegam miscuisse » (Ep. LV, cap. x).

In ecclesiastica disciplina Cyprianus strictioribus praeceptis utebatur quam Cornelius ejusque pars : ille enim lapsos tantum exhomologesi et paenitentia facta restitui volebat; Cornelius vero multo indulgentiorem se praestabat, ut partem aliquam a grege secedere prohiberet. Etenim Romae episcopi ut semper in ecclesiasticarum rerum ordine et administratione firmissimos se praestiterunt, ita in disciplina et moribus tractabiliores fuerunt, ita ut semper multae querelae facta sint : Hippolyti Callistique contentionem satis sit memorare.

Novatiani schisma Romae exortum ad Carthaginiensem aliasque ecclesias redundavit : hoc enim Cyprianus Cornelio nuntiat « partem Novatiani Maximum presbyterum... nunc istic sibi fecisse pseudoepiscopum ut dicatur » (Ep. LIX, cap. IX). Cum autem nullam jam de eadem re mentionem faciat, colligendum est Novatiani vel Maximi sectatores non plurimum valuisse in Carthaginis ecclesia.

Inde ad Cypriani mortem inter episcopum gregemque nullae jam difficultates exortae sunt, vestigium saltem nullum ejus epistulae exceperunt.

Tunc vero Cyprianus in certamen jamjam venturus erat non cum confessoribus vel lapsis, rebellibus vel schismaticis presbyteris, sed cum uno ex collegis, Stephano, Romae episcopo, scilicet maximae inter omnes ecclesiae antistite. Quod Cypriani vitae momentum nos adducit ut ad secundum hujus scripti caput aggrediamur, postquam breviter ostendimus inter quas rerum condiciones Cypriani industria exercita esset et qualis fuisset, nunc

videndum est quam late patere episcopi officia juraque Cyprianus censeat, quale ejus munus esse et a quo collatum, quam et quantam potestatem eo munere concessam.

CAPUT SECUNDUM

DE EPISCOPO

Jamdudum peracta erat christiani cleri et plebis disjunctio. Cui rei Cyprianus plane subscribit, cum « clerum » a « plebe » secernat, universamque ecclesiam « fraternitatem omnem » appellet (Ep. LI, cap. 1). Clerici autem in epistulae I^ae^, cap^e^ 1° appellantur « qui in ecclesia Domini ordinatione clerica promoventur ». Sunt igitur a clero omnes quicunque in ecclesia quoddam munus explent; quibus abstinendum est ab omni alio negotio : « Cum jam pridem in concilio episcoporum statutum sit ne quis de clericis et Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli divino sacerdotio honorati et in clerico ministerio constituti non nisi altari et sacrifiis deservire et precibus adque orationibus vacare debeant. »

Veteris Testamenti auctoritas in rebus ecclesiasticis adhibetur; etenim ex juribus sacerdotum et levitarum Veteris Foederis, Novae ministrorum praerogationes colliguntur. Attamen qui inferioris ordinis munera explent, non omnibus juribus fruuntur quae clericorum sunt; ita Celerinus Aureliusque ab lectoris munere incipiunt, priusquam inter presbyteros numerentur et honoribus dignitatis illius fruantur, Cyprianus enim in epistulae XXXIX^ae^ cap^e^ v° :

« Hos tamen lectores constitutos sciatis... ceterum presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis. »

Laici in ordinandis clericis partem capiunt, sed hi constituti ab jurisdictione plebis christianae jam abstracti sunt. Lectores Cyprianus auctoritate sua ordinavit, sed contra morem institutum fecit, cum ipse, de spinosa quadam quaestione haec in epistulae XIV^ae^ cap^e^ IV° inscripserit : se « a primordio episcopatus sui statuisse nihil sine consilio presbyterorum et sine consensu plebis sua privatim sententia gerere ». Ceterum plebis jura cleri usurpationibus magis atque magis tollebantur : quod in locis quibusdam manifeste apparet, velut in epistulae XXXVIII^ae^ cap^e^ I° : « expectanda non sunt testimonia humana cum praecedunt divina suffragia ».

Crescunt igitur episcopi praerogationes, imminuuntur jura plebis simul et inferioris cleri. Duas librae lances dicas, quarum una exsurgit prout altera deprimitur ; tertium jam seculum ecclesiasticae auctoritatis momentum a laicis ad clerum lente transferebatur, nunc vero ad episcopum pergit.

Episcopus dux et caput est ecclesiae cujusque regionis. Cum perfecte fraternitatis agat personam, tota ecclesia eligendus est, cujus variae partes in designando episcopo partem capiunt ; ab inferiore igitur loco ordinationem accipit, collegarum plebisque suffragiis constituitur de quo cf. Ep. XLIV, cap. III : « Episcopo semel facto et collegarum ac plebis testimonio et judicio comprobato alium constitui nullo modo posse. » Quidam ad episcopatum uno velut ictu pervenerunt, alii vero per omnes ecclesiastici ordinis gradus ascenderunt, cf. Ep. LV, cap. VIII : « Non iste (Cornelius) ad episcopatum subito pervenit, sed per omnia ecclesiastica officia promotus... ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. » Ordinatio ipsa ex Veteris Foederis exemplo trahitur :

« Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente sub omnium oculis deligatur et dignus adque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. » (Ep. LXVII, cap. IV). Cum autem publico plebis judicio fiat electio, praesunt ei episcopi proximi (1).

Ergo plebs christiana in ordinando episcopo partem capit, sed post ordinationem omni censura destituta, ejus auctoritati se subjicere debet. Si quis eam aspernatur, fit haereticus schismaticusque, et excommunicationi it obviam : quod episcopo praeclaram animos subigendi rationem praebet, nam fideles non libenti animo sese ex ecclesiastica institutione excludunt.

Ceterum episcopi ordinatio non ex unis populo cleroque pendet, sed sub superiore quadam auctoritate posita est : id acerrime explanat Cyprianus in epistula ad Puppianum scripta. Qui Cypriani facta reprehenderat eumque superbiae insimulaverat : quin inquisitionem in ejus mores instituerat. Eum ita contumeliam fecisse in Dei majestatem Cyprianus arbitratur :

« Post Deum judicem qui sacerdotes facit te velle non dicam de me sed de Dei et Christi judicio judicare. Hoc est in Deum non credere, hoc est rebellem adversus Christum et adversus evangelium ejus existere. Nam credere quod indigni et incesti sint qui ordinantur quid aliud est quam contendere quod non a Deo nec per Deum sacerdotes ejus in ecclesia constituantur. » (Ep. LXVI, cap. I).

Ergo a Deo ipso episcopus directo pendet nec ulli hominum dicioni subjectus est : itaque ejus auctoritate in rebus ecclesiasticis nulla est superior. Rationes autem cum reddendae sunt, collegis, ut ejus judicibus, redduntur. Si quando sese indignum praestitit ab episcopatu potest

(1) Ad eam plebem cui praepositus ordinatur episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. (Ep. LXVII, cap. V).

moveri. Ita cum Marcianus Arelatensis episcopus Novatiani schismatici socius factus esset, Cyprianus praedicat viam unam Marciano apertam manere : « agere paenitentiam et ad ecclesiam supplicem redire »; alium vero in ejus loco esse substituendum : « Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te (Stephano) litterae quibus abstento Marciano alius in loco ejus substituatur » (Ep. LXVIII, cap. II, III).

Ab sacerdotali honore prohiberi potest episcopus, sed tantum collegarum suffragiis, sicut apparet ex Basilidis Martialisque exemplo; de quibus Cyprianus in epistulae LXVII^{ac} cap^{e} 1^{o} scripsit : « Basilidem et Martialem libellis idolalatriae conmaculatos et nefandorum facinorum conscientia vinctos episcopatum gerere et sacerdotium Dei administrare non oportere. » Quid in hos decretum sit ex his cap^{is} VI^{i} verbis videtur :

« Frustra tales episcopatum sibi usurpare conantur..... maxime cum jampridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius collega noster..... decreverit ejusmodi homines ad paenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri adque sacerdotali honore prohiberi. »

Quae cum ita sit episcopi condicio, officia quaedam ab ea exoriuntur : quibus constitutis jura ipsa definire erit facile. Ea enim ordinatio quae episcopo officia imponit jura quoque ei tribuit muneri illi inhaerentia : « habere namque aut tenere ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in ecclesia non est » (Ep. LXIX, cap. III). Ecclesiae regendae praepositus est episcopus, et propter id disciplinam gerere debet.

Jam vidimus qua animi firmitate Cyprianus in ecclesia sua eo munere functus esset et quomodo cum lapsis egisset. Collegas autem pariterque clerum suum in consilium adhibere potest episcopus ; sed ipse imperii summam obtinet et sine appellatione omnia decernit.

Episcopo quoque ea suscipienda sunt quae ad pauperes, confessores, homines pro Domino carcere inclusos pertinent, quibus omnibus consultum esse voluit Cyprianus, cum Carthagine afuit : « Quantum ad sumptus suggerendos, sive illis qui gloriosa voce Dominum confessi in carcere sunt constituti, sive his qui pauperes et indigentes laborant et tamen in Domino perseverant, peto nihil desit » (Ep. V, cap. I, cf. Ep. XIV, cap. II). Largitiones episcopus administrat nullo obstante vel censuram faciente, non saltem comperimus ei rationes fuisse reddendas de eleemosynis collatis.

Fraternitatis vero suae personam agit apud Deum, itaque religiones suscipit, velut baptisma sacrificiumque altaris. Omnia ea quae episcopo attribuuntur in epistulae LXVI^ae^ cap^e^ v° enumerata sunt : « ubi is non est, inquit, nec fraternitas habet episcopum nec plebs praepositum, nec grex pastorem, nec ecclesia gubernatorem, nec Christus antistitem, nec Deus sacerdotem ». Juribus praerogationibusque iisdem fruitur quibus sacerdotes veteris Israëlis. Etenim sicut et ceteri Patres Ecclesiastici, Cyprianus Vetere et Novo Testamentis inter se collatis, prioris condiciones ad alterum transfert nam ambas religionis temperationes eodem pretio aestimat, ita, exempli causa, Deuteronomii quoddam loco ad Israëlis sacrificatores pertinente, fundantur jura episcopi in epistulae LXVI^ae^ cap^e^ III°.

Apostolorum successores sunt episcopi : « Christus dicit ad apostolos ac per hoc ad omnes praepositos qui apostolis vicaria ordinatione succedunt » (Ep. LXVI, cap. IV). Quam sententiam jam defenderunt priores ecclesiastici scriptores.

Episcopo parere debet non solum plebs, sed etiam inferioris ordinis clerici, presbyteri, lectores diaconique. Episcopus fraternitatem gubernat : itaque sponsor est pro disciplina, et, cum praedicationem quoque suscipiat, ei

pro sana doctrina vigilandum est. Etenim non est tantum gubernator sed etiam doctor qui ex cathedra praecipit. In eo igitur ecclesia nititur. Ceterum a Deo auxilium quoddam exspectare potest. Visa enim somniorum sibi a Deo concessa Cyprianus saepe commemorat. Sua igitur auctoritate ecclesiam regit, nec collegarum exemplum cogitur sequi.

Quinquaginta annis rerum facies omnino commutata erat. Aliis temporibus clerus sanam doctrinam definire erroremque submovere conatus erat, et adversus haereticos Irenaeus Tertullianusque pugnaverant; nunc vero adversus schismaticos pugnat Cyprianus, cum de eo agatur qui imperium obtenturus sit.

Duae spirituales potestates altera contra alteram stabant, inter quas contentio persecutione exasperabatur. Per longos annos summa tranquillitate ab episcopo ecclesia gubernari potuerat, nunc vero, ex singularibus quibusdam rebus in unum congruentibus, quaestio orta erat an per occasionem pro ordinaria episcopi auctoritate extraordinaria auctoritas substituenda esset hominum eventis in lucem latorum. Irenaeus quidem episcopum adversus montanistos gnosticosque, scilicet adversus theologos defenderat; Cyprianus vero episcopi jura contra confessores definit et schismaticos eos declarat qui ipsius auctoritati sese non subjiciant. Ante quinquaginta annos Lugduni ad doctrinam schisma pertinebat, Carthagini autem medio tertii saeculi ad disciplinam, cum adversus legitimam ecclesiae auctoritatem rebellio facta sit. In summa momentum singulare hic videmus ejus certaminis quod inter voluntatem ordinis disciplinaeque tuendae, ideoque imperii exercendi, et cupiditatem spontaneae libertatis in aeternum commissum est.

Confessorum causa Carthagine eo maxime confirmata erat, quod episcopus ab urbe discesserat, cujus causa propter id in magnam disputationem veniebat (cf. ep. LXVI

et LIX). Ex utraque parte in aliena jura invasum est, scilicet ab Cypriano cum Celerinum, Aurelium Numidicumque ad Carthaginis clerum introduceret omissa presbyterorum plebisque consultatione; ab confessoribus autem cum per Lucianum epistulam XXIII[am] scriberent. Si rerum statum una vel duabus hominum aetatibus priorem repetas, animadvertas certaminis momentum commutatum esse. Utribus ecclesia regenda sit, hominibusne ad id ipsum constitutis an iis qui in discrimine firmitudinem fidelitatemque suam praestiterint; utri imperium obtinere debeant, illine qui gradus suos certo ordine adepti sint, an hi qui praeclaris facinoribus sese conspicuos fecerint : illud nunc decernendum est.

Cyprianus victoriam ideo tulit quod, quamvis in ecclesia sua difficultatibus impeditus, secundo quasi flumine deferebatur et universae catholicae Ecclesiae momento fulciebatur. Necesse erat duarum earum regendae ecclesiae rationum alteram alteri decedere. Earum enim quasi congressus vitari non poterat : dicas finem sic imponendum fuisse certamini secundo saeculo commisso inter prophetas clericosque, inter ea quae in ecclesia sponte sua exsistebant et ea quae ordine et regula. Qui finis ad episcopalis auctoritatis confirmationem evasit. Etenim confessores Carthagine simul et Romae aut patientiam praestiterunt aut ex ecclesia discesserunt, quod eos ad schismaticorum condicionem redegit et omni auctoritate spoliavit.

Ergo episcopus summo ecclesiae suae gubernandae jure fruitur : praeterea in universa Ecclesia regenda partem capit. Apostolorum enim est successor, et sacerdotalia munera explendo « collegii sacerdotum » est sodalis (cf. Ep. LIX cap. v). Artissime cum « Ecclesia catholica » conjunctus est, cujus est vicarius : quae si non essent, quivis a suo episcopo dissidere posset, qui tamen in Ecclesia catholica permaneret. Quod ne fieri possit Cyprianus

diligenter cavet, rem ipsam in epistula XXXIII[a] clarissime explanat. Postquam illud « tu es Petrus » laudavit, hoc addit : « Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit ut ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur ». Haec sententia manifestissime apparet : Christo niti episcopi autoritatem; in Petro (vel petro) episcopatum fundatum esse et in episcopatu totum Ecclesiae aedificium; episcopatu, hoc est episcoporum corpore, Ecclesiae temperationem constitutionemque concludi. Nullum esse aliud fondamentum ex his verbis ep[ae] XLIII[ae] cap. v, videas : « Deus unus est et Christus unus et una ecclesia et cathedra una super Petrum Domini voce fundata ». Quibus verbis absolvitur doctrina : cum Deo uno efficiatur Ecclesia una, communicare cum episcopo non aliud est quam communicare cum Deo ipso et in ecclesia permanere, episcopus enim ipsa est ecclesia.

« Unde scire debes episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo et si qui cum episcopo non sit in ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando ecclesia quae catholica una est scissa non sit neque divisa, sed sit utique conexa et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata » (Ep. LXVI, cap. VIII). « Ecclesia enim una est, quae una et intus esse et foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit, Novatianus in ecclesia non est » (Ep. LXIX, cap. III).

Unitas Ecclesiae in episcopis posita est, non in clericis; nam clerici maxime secreti sunt ab episcopis quos Christus ipse iisdem titulis creavit quibus apostolos. Aliis autem in rebus episcopi cum apostolis comparari possunt, etenim

sicut illi, inter se pares sunt, praeterea, ut in apostolorum collegio exstitit unus qui pro indignitate munere motus sit, sic gradu dejici is episcopus potest, qui in capitale peccatum vel in haeresin ceciderit ; non ideo Ecclesiae communione privatur, sed paenitentia facta in ea ut laicus permanere potest.

Eam doctrinam de ecclesia in episcopo quasi incarnata extenuare videntur quidem verba quaedam, quibus pastoris gregi aliqua pars tribuitur : « illi sunt ecclesia plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens » (Ep. LXVI, cap. VIII) sed ea profecto de ipsis Cyprianae sententiae principiis nihil detrahunt.

In episcopo est ipsius provinciae ecclesia, in episcoporum autem corpore vel episcopatu catholica Ecclesia ; cum haec una sit, episcopatus quoque unus esse debet : « Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur » (De Unitate, cap. V).

Ratione quidem omnes episcopi inter se pares sunt : revera autem quidam ex eis praepotentes tenent partes, imprimis in majoribus urbibus.

Cypriani doctrinae graves impetus sustinendi fuerunt. Cornelii aetate, Romae episcopo ille semper auxilium praebuerat : jam in eo res erat ut a Cornelii successore non sine tumultu dissideret, qui inter christianum populum si non princeps ipse, at unus ex principibus esse sibi videbatur. Revera quidem episcopus, praecipuae urbi provinciae regionisve cujusdam praepositus, omnium illius regionis episcoporum personam agebat ; sic Cyprianus ipse circumstantium episcoporum nomine frequenter verbum fecit.

Africanis collegis innixus, cum Romae episcopo in certamen venit in haereticis baptizandis. Ita episcopatus jura acriter quidem, sed inconstanter defendit ; doctrina enim de Petri cathedra subversa est illa defensio. Id certamen ab epistula LXVIII[a] ad LXXV[am] nobis narratum est.

Cyprianus dum ad Stephanum Romae episcopum scribit, ejus animum advertit ad res Arelatensis ecclesiae, cujus episcopus Marcianus Novatiani principiis seductus erat. Id a Faustino Lugduni collega Cyprianus compererat, qui Romanum quoque episcopum certiorem fecerat. Cyprianus Stephanum commonefacit de episcopi necessario disciplinae exercendae officio : eum etiam atque etiam rogat ut strenue agat, hortaturque ut in Marciani locum aliquem substituat (cf. Ep. LXVIII). Eam rogationem non bene exceptam esse verisimile est. Ut munere ad disciplinam retinendam suscepto ultra fungeretur, Cyprianus concilium congregaverat, quod cum ipso de actione consultaret ab Hispanensi clero duobus libellaticis intenta, qui, nomine Basilides Martialisque, aliarum quoque indignitatum insimulabantur.

Africanorum episcoporum auxilio innixus, statuit quae sacerdotibus in altari ministrantibus sacrificantibusque sint necessaria ; magna quidem delectatione et multis verbis de similitudine disputat qua presbyteri, cum Veteris Fœderis sacrificatoribus, conjuncti sunt, deinde presbyteri ordinationem excusat, qui praevaricatorum episcoporum vices obeat. Ex epistulae LXVII^{ae} cap^{e} v^{o} colligi potest Stephanum eorum episcoporum causam suscepisse quos reprehendebat vel potius gradu dejiciebat Africanus clerus communiter cum Hispaniensi clero. Cur Stephanus omnium consensui obstiterit, omnino nescimus, hoc certe Cyprianus testatus est Stephanum deprehensum esse : « Neque enim tam culpandus est ille cui neglegenter obreptum est quam hic exsecrandus qui fraudulenter obrepsit » (Ep. LXVII, cap. v).

Jam imminebat discrimen inter Roman Carthaginemque. Quin Cyprianus ad auxilium alludit quod Basilides Martialisque a collegis quibusdam accipere possint, « qui deificam disciplinam neglegendam putant » (Ep. LXVII, cap. ix).

Attamen adhuc tantum procursatum erat, certamen ipsum inter ambos episcopos vel potius inter ambas potestates (non enim solum de Stephano Cyprianoque agebatur) jam commissura erat non personae, sed doctrinae quaestio, scilicet quomodo in haereticis baptizandis agendum esset. De ea re consultatum est in concilio Carthagini anno CCLV° congregato, de quo Cyprianus in epistula LXX[a] retulit.

Cyprianus per litteras de his interrogatus erat « qui apud haereticos et schismaticos baptizati videntur, an ad ecclesiam catholicam quae una est venientes baptizari debeant » (Ep. LXX, cap. I). Concilium autem, pro regula restricte observanda decrevit et declaravit « se censere et pro certo tenere neminem baptizari foris extra ecclesiam posse » ; a presbytero sacrilego et praevaricatore nullum legitimum baptismum dari posse : « Quomodo potest spiritalia gerere qui ipse amiserit spiritum sanctum? .. Si baptizare potuit, potuit et spiritum sanctum dare » (Ep. LXX, cap. II, III).

Ejusdem concilii sententia, gratia divina per sacramentum non transmitti potest nulla ejus hominis ratione habita qui sacramentum confert, etenim qui a sacrilego sacerdote baptizatus est rem suam facit deteriorem et oportet eum iterum in vera Ecclesia baptismo tingi : « Qui in errorem seductus est et foris tinctus in baptismo vero et ecclesiastico etiam hoc ipsum deponat quod homo ad Deum veniens, dum sacerdotem quaerit, in sacrilegum fraude erroris incurrit » (Ep. LXX, cap. II).

Quae sententia ei omnino est contraria quam postea assumpsit catholica Ecclesia. Hic enim sacramenti auctoritas ex fidelitate sacerdotis id conferentis pendet ; jam vero subvertitur successio apostolica illa a Romana Ecclesia concepta, nam, ut tota cadat catena, satis est, unum annulum ruptum esse.

Id decretum Carthaginiensis concilii Cyprianus in inse-

quenti epistula commentatur : refert de ea re accurate disputatum esse. Qui alterum baptismum impugnabant, haereticorum baptismo faventes, argumento illo nitebantur : « una ecclesia, unum baptisma ». Quod argumentum Cyprianus rursus in eos convertit qui eo utuntur; haereticorum enim baptismum nihil esse arbitratur : « Nos autem dicimus eos qui inde veniunt non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid ubi nihil est » (Ep. LXXI, cap. 1). Quae ratio, si ad rem perducta esset, Romanam doctrinam subvertisset, vel ei saltem maximo periculo fuisset, nam necesse fuisset probari sanam fidem eorum qui sacramenta administravissent.

Jam opinionum dissensiones graviores fiebant; quomodo egerit Romae episcopus non certo comperimus, Cyprianus vero quaestionem detulerat ad aliquot Africanos episcopos, nam acriter sentiebat sibi opus esse auxilio totius suae provinciae cleri, quae Numidiam Mauritaniamque complectebatur, eo magis quod ea quaestio amplior fieret, atque Roma viam suam ultra insisteret.

Prima synodus, in qua nominantur XXXI episcopi, Carthagine anno CCLV° congregata erat. De qua Cypriani epistula ad Jubaianum (LXXIII[a] in cap[e] 1) mentionem facit nuntiatque secundam synodum, in qua LXXI episcopi adessent, ad consultandum de eadem quaestione congregatam esse. Quae ambae priorem sententiam confirmarerant :

« Hoc idem denuo sententia nostra firmavimus, statuentes unum baptisma esse quod sit in ecclesia catholica constitutum ac per hoc non rebaptizari sed baptizari a nobis quicumque ab adultera et profana aqua venientes abluendi sint. »

Duobus iis conciliis, etsi maximi momenti fuerant, multo majus graviusque fuit concilium illud anni CCLVI[i] I Kal. Sept. convocatum, cujus acta nobis servata permanserunt. Cum prima XXXI, secunda synodus LXXI

episcopos numeravisset, tertiae socii fuerunt LXXXVII, quorum nomina domiciliaque comperimus. Singulari quadam gravitate et pompa omnes consultaverunt : singuli enim sententiam suam explicaverunt, nonnulli quidem accuratissime. Ita tota Africae Ecclesiae contra Italiae Ecclesiam exsurgebat de re quadam ad doctrinam disciplinamque pertinente.

Publica epistula ad Stephanum pontificem Romanum missa est Cypriani collegarumque nomine, quae eum his verbis de concilii decretis certiorem faciebat :

« Eos qui sunt foris extra ecclesiam tincti et apud haereticos et schismaticos profanae aquae labe maculati, quando ad nos adque ad ecclesiam quae est una venerint, baptizari oportere, eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum spiritum sanctum, nisi accipiant et ecclesiae baptismum. » (Ep. LXXII, cap. 1).

Auctore Cypriano, vel potius exemplo a Tertulliano tradito, Carthaginiense concilium jura disciplinae quoque exercet contra presbyteros dissidentes vel inter haereticos ordinatos, in ecclesiam tantum ut laici restitui possunt (« ut communicent laici »). Ea decreta Stephano denuntiantur, non ideo ut ad sententiam Africanorum episcoporum perducatur, sed observantia in collegam qui summum locum obtinet.

Loca quaedam ex Stephani responso in Cypriani epistula ad Pompejum nobis relata sunt. Ille autem non vult rebaptizari haereticos :

« Si qui ergo a quacumque haeresi venient ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in paenitentiam, cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum » (Ep. LXXIV, cap. 1).

De eo responso Cyprianus facit censuram, verbis vere apostolicis utitur ad repudiandam omnem traditionem quae hominibus nitatur :

« Quae ista obstinatio est quaeve praesumptio humanam traditionem divinae dispositioni anteponere nec animadvertere indignari et irasci Deum, quotiens divina praecepta solvit et praeterit humana traditio » (Ep. LXXIV, cap. III).

Cum paulisper inclinavisset ad concordiam cum Stephano restituendam, nunc ejus voluntates omnino commutatae erant. Magis atque magis discordia exasperabatur, quin erga Romanum collegam iisdem verbis utitur quibus in haereticos uti posset : « Quo lecto (exemplum litterarum Stephani) magis ac magis ejus errorem denotabis, qui haereticorum causam contra christianos et contra ecclesiam Dei adserere conatur » (Ep. LXXIV, cap. I). Versimile est Cyprianum ipsum a Stephano haereticum declaratum esse : id saltem ex vehementi hac compellatione colligi potest : « Dat honorem Deo qui haereticorum amicus et inimicus christianorum sacerdotes Dei veritatem Christi et ecclesiae unitatem tuentes abstinendos putat »? (Ep. LXXIV, cap. VIII).

Africani episcopi, auctoritatis suae sibi conscii, Stephani postulationes audacter aspernabantur. Distracta autem cum Roma societate, ceterorum episcoporum assensionem jam eo acrius requirebant, itaque Africae Ecclesia ad Orientis Ecclesiam se convertit.

Tum in medium procedit Firmilianus episcopus Caesareae Cappadocae, qui ad Stephanum ea vehementia respondet, prae qua Cypriani responsum summa lenitate esse videatur; postquam papam cum Juda contulit, haec verba addit :

« Sed haec interim quae ab Stephano gesta sunt praetereantur, ne dum audaciae et insolentiae ejus meminimus, de rebus ab eo improbe gestis longiorem maestitiam nobis inferamus » (Ep. LXXV, cap. III).

Firmilianus, ut Orientalis, ad illas querelas quas Africana Ecclesia de Roma habere poterat eas querimonias

addit quas Orientis Ecclesia jam a secundo seculo alebat in imperii caput. Animadvertit Romanos, cum in multis rebus non traditionem sequi, tum peculiariter in haereticis baptizandis, pontificem Romanum frustra apostolorum auctoritatem sibi praetendere, qui ab eo dedecorentur. Firmiliani indignatio praeter solitum modum est vehemens :

« Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam... Stephanus qui per successionem cathedram Petri habere se praedicat nullo adversus haereticos zelo excitatur » (Ep. LXXIV, cap. XVII).

Quem finem habuerit id certamen de baptismo constat apud omnes. Stephani doctrinam praevalere necesse erat nam catholicae traditioni erat consentanea, secundum quam baptismi auctoritas non ex persona baptizantis pendet, sed ita ut qui secundum justam formulam baptismum acceperint, illi rite baptizati sint, etiamsi baptismus ab haeretico collatus sit.

Cypriani vero reluctationem facile intellegas, si animadvertas ejus sententia baptismum esse : « Nativitatem secundam spiritalem.... non per manus impositionem quis nascitur quando accipit spiritum sanctum, sed in baptismo, ut spiritum jam natus accipiat. » (Ep. LXXIV, cap. V, VII). Ea autem doctrina magis spiritualis erat quam ut praevaleret.

Africanorum episcoporum reluctatio non ultra continuata est. Memoria gravis eorum certaminis cum Italiae collegis ad cladem postremo perducti quodam fuit momento ad victoriam Romani pontificis, nunc rursus Roma Carthaginem superabat. Post Stephanum anno CCLVII° mortuum verisimile est ecclesias alias cum aliis paulatim reconciliatas esse, ceterum controversa res non statim est sublata.

Cyprianus in contentione cum Stephano, quoties collegae Romani facta esse prava arbitratus est, non omisit

concilium convocare, cujus decreto innixus Stephanum objurgavit : ergo Romanum episcopum inter collegas principatum obtinere non vult agnoscere. Ceterum Stephanus consulto laborare visus est ut Cyprianum provocaret quemadmodum in haereticis baptizandis, ita in rebus Basilidis Martialisque. Certissimum enim videtur decretum a tertio Carthaginis concilio adversus sacerdotes « perfidos ac rebelles » (cf. Ep. LXXII, cap. II) factum spectare ad Stephani intercessionem pro Hispaniensibus episcopis.

Manifeste apparet dissensio inter Cyprianum Stephanumque exorta de fundamentis ecclesiasticae auctoritatis. Etenim hujus sententia, qui Petro successit ille episcoporum est primus et jure ornatus est collegas regendi, qui igitur Petri cathedram obtinet, episcoporum corporis est dux et princeps. Cyprianus vero censet penes episcopatum totum, non penes unum Romae episcopum, esse ecclesiasticum imperium.

A qua sententia quaedam epistularum loca discrepare videntur, alia vero multa (cf. Ep. XXXIII, cap. I & LXVI, cap. VIII) expresse asseverant in episcoporum corpore Ecclesiae fundamentum unitatemque posita esse, nec episcopum ullum ceteris antecellere : « Neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit » (Sententiae episcoporum). Ratione Ecclesia ex corpore episcoporum constat, ita videlicet ut illud corpus Romae episcopum complectatur, ideo quod cum cathedra Petri communicare debet. Si autem ille a collegis dissedit, unitas jam rupta est, atque quaerendum est num episcoporum synodus decretis unius Romani episcopi praevalere possit. Negavit historia, Cypriani exceptionibus recusationibusque fundamenta deerant, jure nitebatur, non consequenti doctrina.

Abhinc L annis Irenaeus Romam demonstraverat ut « potentiorem principalitatem » possidentem : inde ea sententia magis atque magis praevaluerat. Necesse erat

corpus episcoporum adduci ut uni se subjiceret, ideo scilicet quod magis aut minus imprudenter illi uni ipsum eminentes partes tribuerat.

Stephanus quidem ad ipsum Romae episcopum id transferebat quod alii Romae cathedrae contulerant, revera autem illa duo secernere difficillimum erat. Si quis a Romano episcopo dissederat a Petri successore dissederat, quod nihil aliud erat quam a Petri cathedra dissidere idem scelus admittere quod Cyprianus haereticis exprobaverat. Ratione igitur schismaticus erat non Stephanus, sed ipse Cyprianus. Ceterum historia consequentias ejus rerum condicionis evolutura erat, sed quod nunc manifestissime cernimus, id temporis illius hominibus maxime confusum, indistinctumque sane apparebat. Verisimile est, in ea contentione de haereticorum baptismo, neque Cyprianum sibi conscium fuisse se vinci neque Stephanum se vincere, nam res futurae tantum demonstrare poterant uter in ea re praevaluisset.

Cyprianus contra se ipsum gravissima argumenta praebuerat doctrinam de Petri cathedra statuendo, vel potius distincte et definite conformando. De qua praecipue haec loca laudanda sunt.

Primo, de Cornelio ad episcopatum promoto, Cyprianus hoc scribit : « Cum Fabiani locus id est cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret » (Ep. LV, cap. VIII).

Secundo, in epistula ad Cornelium de Fortunato Felicissimoque missa haereticos scribit : « Audere et ad Petri cathedram adque ad ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta sit ab schismaticis et profanis litteras ferre » (Ep. LIX, cap. XIV).

Tertio, in epistula ad Jubaianum, cum certamen cum Roma maxime flagraret, praerogativam Petro tributam rursus repetit : « Nam Petro primum Dominus, super quam aedificavit ecclesiam et unde unitatis originem insti-

tuit et ostendit, potestatem istam dedit ut id solveretur quod ille solvisset » (Ep. LXXIII, cap. VII).

Quarto, in libro De Unitate Ecclesiae inscripto illud « tu es Petrus » verbis Romae maxime opportunis commentatus est : « Super unum aedificat ecclesiam.... ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit » (cap. IV); adjuncta quidem hac exceptione : « Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis sed exordium ab unitate profiscicitur, ut ecclesia Christi una monstretur ». Cum Petri persona ita inter omnes emineat, ejus cathedra hereditate eas praerogativas accipit quae primi possessoris erant, et Petri successores earum partem capiunt, in illis igitur necessarium Ecclesiae fundamentum positum est.

« Deus unus est et Christus unus et una ecclesia et cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium novum fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest » (Ep. XLIII, cap. V). Ea Cypriani sententia de cathedra Petri non variavit. Argumento sit ea epistula Firmiliani, in qua Stephanus omnium vehementissime impugnatur, de praerogativa Romae nulla est controversia, sed hoc tantum in dubium vocatur num Stephanus jus habeat cathedram obtinendi : « Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta ecclesiae collocata sunt, multas alias petras inducat ».... Nec intelligit offuscari a se et quodam modo aboleri christianae petrae veritatem qui sic prodit et deserit unitatem » (Ep. LXXV, cap. XVII).

Ita doctrina integra permanet, obtinetur tantum cathedra ab indigno episcopo. Id autem cum ea specie non congruebat quam Cyprianus de episcopatu sibi fingebat. Duas

potestates constituebat, alteram Romae collocatam, alteram in Ecclesia distributam, quae quodam modo conjunctae erant, cum Romae episcopus corporis episcoporum socius esset : sed si quando ex rebus quibusvis dissensio inter episcopum illum corpusque totum exorta erit, quaerendum est unde staturum sit ejus imperiumque? Ab episcopatu staturum esse respondet Cyprianus, a Roma vero Stephanus. Hanc autem sententiam res probaverunt. Utrum Roma an episcoporum concilium praevaleat, ea quaestione tota nititur historia intestina catholicae Ecclesiae a tertio saeculo ad hoc tempus.

Eam doctrinam de Romae praestantia animadverti potest multum progressam esse a Tertulliani Irenaeique temporibus usque ad Cyprianum. Etenim Irenaeus Romae dignitatem fundaverat Petri Paulique apostolorum ministerio et apostolica traditione quam illa ecclesia servaverat et propter quam ceterae ecclesiae ad eam oculos convertebant. Hoc autem inchoatum mancumque quoddam videtur collatione doctrinae illius definitae et accurate elaboratae, quam apud Cyprianum invenimus.

Facile intellegitur Romanam Ecclesiam, quamvis firme Cyprianus Stephani postulationibus obstitisset, Carthaginis episcopum inter haereticos non posuisse; illa enim ab eo majus beneficium acceperat quam ut id fieri posset. Cypriani primum in ecclesiasticis rebus praeceptum scilicet veram Ecclesiam a vero episcopo stare non necessario congruebat cum ipsius doctrina de Petri cathedra, et haec ipsa, cum contradictio exstitisset, erat victura.

CAPUT TERTIUM

DE EPISCOPATU ET CONCILIIS

Episcopus fraternitatis suae simul est sacerdos, praeses vicariusque : ordinatione constitutus, munus habet disciplinam exercendi, institutioni christianae consulendi, pauperibus succurrendi, ecclesiam regendi. Dei Christique sacerdos, simul vicarius est Christi (cf. Ep. LXIII, cap. XIV). Cum ita sint episcopi partes in ejus fraternitate, quaerendum est qua auctoritate episcoporum collegium fruatur. Manifestum est Cypriani sententia episcopos omnes esse pares, a Deo institutos et apostolorum loco positos.

Unitas Ecclesiae catholicae postulat ut una summa potestas praesto sit, hanc autem potestatem Cyprianus in collegio episcoporum ponit.

Singuli igitur episcopi non solum eclesiam suam habent gubernandam, sed partem capiunt in regenda universa Ecclesia : per ordinationem duplice auctoritate praediti sunt, altera intrinsecus, altera extrinsecus exercenda, ita ut singulas ecclesias totas, partim catholicam quasi incarnent. Quod de episcopis singulis in epistulae LXVI^ae, capite VIII° similibusque locis scriptum est, ad episcopatum ipsum, ad corpus episcoporum pertinet; si quis non cum episcopo stare dicitur, illum neque cum episcopo suo neque cum episcopis stare intellegendum est.

In Cypriani epistulis paulatim in lucem apparet id tribunal cui in rebus controversis decernendum est, cf. epistulae XV^{ae} cap. I^{um} : « Cum persecutione finita convenire in unum cum clero et recolligi cœperimus » et epistulae XIV^{ae} cap. IV^{um} : « Quando a primordio episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro et sine consensu plebis mea privatim sententia gerere. » Quod tribunal praeter clericos, presbyteros diaconosque etiam plebem ecclesiae complectitur. Non multo post de episcoporum concilio agitur : « Convocatis coepiscopis plures secundum Domini disciplinam » (Ep. XVII, cap. III).

Eam doctrinam insequentes epistulae iterum confirmant; in epistulae XIX^{ae} capite II^{o}, de lapsis restitutionem suam postulantibus, Cyprianus haec scripsit : « Praepositi cum clero convenientes praesente etiam stantium plebe » ; hic agitur de episcopis, quibus non multo post de consiliis capiendis decernendum : « Ut cum pace a Domino nobis data plures praepositi convenire in unum coeperimus, communicato etiam vobiscum consilio disponere singula vel reformare possimus » (Ep. XX, cap. III). Animadvertendum est ex ea epistula Romanos de rebus actis certiores factum iri. Romanus clerus in epistula ad Cyprianum scripta se cupere declarat ut lapsorum rationem tractet commune consilium stantibus laicis : « Quanquam nobis... placet... prius ecclesiae pacem sustinendam, deinde sic conlatione consiliorum cum episcopis presbyteris diaconis confessoribus pariter ac stantibus laicis facta lapsorum tractare rationem » (Ep. XXX, cap. V). Ei sententiae assentiunt confessores epistulam XXXI^{am} ad Cyprianum scribentes : « Cum tam grande delictum et per totum paene orbem incredibili vastatione grassatum non oporteat nisi, ut ipse scribis, caute moderateque tractari, consultis omnibus episcopis presbyteris diaconibus confessoribus et ipsis stantibus laicis, ut in tuis litteris et ipse testaris » (cap. VI). In aliis vero occasionibus, Cyprianus tantum de

episcopis mentionem facit, sicut in epistula XXXII[a] : « Sicut et collegis meis plurimis scripsi, plenius consilio communi tractabimus, quando convenire in unum permittente Domino coeperimus. » Qua formula « quando in unum permittente Domino convenerimus » in aliis locis legitur (cf. Ep. XXXIV, cap. III et XLI, cap. II).

Ea autem variarum sententiarum consecutione credi potest quandam doctrinae explicationem progressionemque significari, etenim laici et inferioris ordinis clerici ex Cypriani oculis paulatim excidunt, et in eorum locum episcopi tantum substituuntur. Ergo episcopis ipsis decernendum erit, hoc autem Cyprianus in Carthaginiensi ecclesia in usum vertit, quin principiis ipsis positis doctrinam constituit.

Episcopi magis magisque amplas partes obtinent, ipsi enim de lapsis consilia capiunt : « Qui (Cornelius) et ipse cum plurimis coepiscopis habito concilio in eandem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit » (Ep. LV, cap. VI). Ea progressio ad finem pervenisse videtur, cum de rebus Basilidis Martialisque agitur (cf. Ep. LXVII) et de baptismo haereticorum (cf. Ep. LXX, LXXII et LXXIII). Hic nemo alius nisi episcopi deliberant et in Carthaginiensis concilii actis, quae nobis servata sunt, LXXXVII episcoporum sententiae referuntur ; itaque merito tabulae illae Sententiae episcoporum nominatae sunt. Non quo episcopi uni ibi adfuerint, contrarium enim ex prooemio videmus : « Episcopi plurimi ex provincia Africa, Numidia. Mauritania cum presbyteris et diaconibus, prasentibus etiam plebis maxima parte ». Sed illi in decretis faciendis nullam habuerunt partem.

Si ea documenta repetimus quae de variis conciliis accepimus, videmus episcopos vicissim adfuisse numero XC (Ep. LIX, cap. X), LXVI (Ep. LXIV), XLII (Ep. LVII), XXXI (Ep. LXX), LXXI (Ep. LXXIII, cap. I), XXXVII

(Ep. LXVII), LXXXVII (Sententiae episcoporum). Ex quibus numeris nobis fingere possumus consilia frequentia, amplaque auctoritate instructa. Ea negotiis continuis consulebant et Ecclesiae administrationi, de principiis decernentia vel consulta pro occasionibus facientia : « Nam cum in concilio placuerit paenitentiam agentibus in infirmitatis periculo subveniri et pacem dari » (Ep. LVI, cap. II). Certis autem temporibus conveniebant (« quando solemnitati celebrandae apud suos satisfecerint et ad me venire cœperint. » Ep. LXI, cap. III) aut extraordinariis e causis convocari poterant.

In iis conciliis posita erat summa jurisdictio, cujus decretis episcopi illius provinciae plerumque se subjiciebant, nullo quidem officii vinculo omnino obstricti, nam unicuique episcopo rationes tantum Deo reddendae sunt : « Actum suum disponit et dirigit unusquisque episcopus rationem propositi sui Domino redditurus » (Ep. LV, cap. XXI). Cyprianus synodos illas maximo momento aestimavit, in iis enim episcopatus suimet ipsius sibi fit conscius. De omnibus rebus quae eis proposita sunt habent illae judicium summum, salva quidem singulorum episcoporum libertate.

Sicut in lapsis vel in haereticorum baptismo, concilia eas quaestiones expediverunt de quibus dissensiones non tolli poterant. In omnibus temporis illius contentionibus interveniunt legesque constituunt de personis et disciplina. Episcopos ipsos reprehendunt, immo nonnunquam gradu dejiciunt, ut (exempli gratia) Jovinum et Maximum : « Sententia novem collegarum nostrorum condemnati et iterato quoque a pluribus nobis anno priore in concilio abstenti » (Ep. LIX, cap. X). A concilio Novatianus quoque condemnatus erat (cf. Ep. LXVIII, cap. II).

Modo decreta omnium consensu faciebantur, ut in Carthaginiensi concilio, modo sententia plurium, ut in eo concilio ubi de lapsis actum est « ut lapsis infirmis et in

exitu constitutis pax daretur » et ubi duae diversae sententiae exproomptae sunt : « In unum convenimus et scripturis ex utraque parte prolatis temperamentum salubri moderatione libravimus » (Ep. LV, cap. v, vi).

Ex Cypriani sententia simul et temporum illorum moribus concilia episcoporum singulare quoddam esse videntur sine quo Ecclesia non bene temperari potest. Ex Cypriani epistulis videmus concilia tunc congregata frequenter de his duobus consultavisse, de pace lapsis danda et de haereticis baptizandis, semel autem de hac altero, de tutoribus nominandis (cf. Ep. I, cap. i) ; praeterea episcopum Therapium condemnavisse (cf. Ep. LXIV, cap. i), et alios a munere removisse; denique aetatem constituisse puerorum baptizandorum (cf. Ep. LXIV, cap. ii). Ergo nihil aliud tractaverunt quam res ecclesiasticas et ad disciplinam pertinentes, nihil videmus in iis ad doctrinam unquam spectavisse.

Omnia ea concilia Romae consederunt et Carthagine quo conveniebant episcopi Africae, Numidiae Mauritaniaeque. Ex Cypriani epistula ad Firmilianum comperimus in Oriente concilia singulis annis convocari : « Qua ex causa necessario apud nos fit ut per singulos annos seniores et praepositi in unum conveniantur ». Res synodis illis propositas his verbis nobis demonstrat epistulae LXXV^ae^ cap. iv^um^ : « Ad disponenda ea quae curae nostrae commissa sunt, ut si qua graviora sunt communi consilio dirigantur, lapsis quoque fratribus et post lavacrum salutare a diabolo vulneratis per paenitentiam medella quaeratur. »

Omnia supra dicta tantum ad concilia pertinent singulis regionibus vel provinciis propria, etenim Cyprianus ejusque aequales non extra eam provinciam, ubi vitam agunt, oculos vertere possunt. Rerum autem publicarum condicio universum concilium prohibebat convocari. Etenim non solum duae rationes episcopalis papalisque

in certamen veniebant plus aut minus imprudenter, sed etiam duae voluntates diversae, administrationem Ecclesiae aut per singulas regiones regendi aut in unum conglobandi. Utrum Ecclesia ex Roma pendere tota an provincia quaeque vitam propriam liberam singularemque administrationem servare deberet, tunc in dubio erat. Decrevit autem historia : utra harum rationum victoriam tulerit, memo nescit.

Quanquam vero Cyprianus Romano pontifici pignora dedit armaque praebuit, atque per doctrinam suam de ecclesiastica unitate et Petri cathedra magna parte ad victoriam Romanae rationis adjuvit, nihilominus constat ex tota ejus vita omnibusque sententiis in epistulis expressis in episcopo et episcopatu positum esse unum et verum Ecclesiae gubernaculum.

Vidi ac perlegi :
Publicae disputationis praeses,
Eug. de Faye.

Vidi :
Fac. theol. Paris. Decanus,
Ed. Stapfer.

INDEX RERUM

Vellavorum civitate. — Ex typis Peyriller, Rouchon et Gamon.